



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in cap. 10. sess. 23. de
reform. Concil. Trident. Form. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

promotus assequatur sufficientem titulum pro congrua sui sustentatione, Pignatell. *consult. 77. n. 16. 17.* qui loquitur in terminis dolose ordinati sine titulo *tom. 5.* est tamen verum, quod si hoc crimen non sit deductum ad forum judiciale, & maneat occultum: & populo non sit notum, poterit ordinatus a suspensione, & irregularitate incurra absolvi ab Episcopo in foro conscientiae vigore *Concilii Trid. sess. 24. cap. 6. de refor.* Pignatell. *loco citato nu. 18. in fin.*

At adverte, quod si ita promotus ab Episcopo, vel Sac. Pœnitentiaria, vel occasione Jubilæi in foro conscientiae sit absolutus; & postea contingat accusari de ficta, & dolosa patrimonii constitutione pro recipiendis sacris ordinibus, possit in foro externo suspensus denunciari, & alio modo puniri: quia isti duo fori sunt separati, & acta unius non generant præjudicium alterius: potest tamen iudex fori externi Ecclesiasticus, absolutionem in foro conscientiae datam, ratam habere, nisi

hoc redundet in præjudicium partis, vel boni, & exempti publici, Nicol. *lucubr. oan. lib. 5. tit. 39. n. 49.* ubi decreta refert: hic tamen in casu formulæ absolutionem in foro conscientiae datam iudex ratam habere non posset in foro externo, nisi ordinatus de congrua sustentatione esset provisorius: quia qui sine titulo est ordinatus, absolute est suspensus, ut advertit Bonacin. *de sac. ordin. disp. 8. quest. unic. punct. 5. n. 22.*

De suspensione contenta in cap. 10. sess. 23. de refor. Concilii Trid.

Vidimus in titulo præcedenti de censur. excom. *form. 38.* Vicarium Capitularem teneri ad syndicatum: unum autem ex delictis de quo poterit syndicari, est concessio dimissorialium intra annum à die Sedis vacantis: quare si Episcopus inveniat eum Concilii transgressorum fuisse, & suspensum declarare velit, hac uti poterit formula.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A III.

V Iſis actibus syndicatus N. Vicarii Gen. Capituli proximæ præteritæ Sedis vacantis, ex quibus constat de concessione litterarum Dimissorialium ad ordines favore clerici N., & clerici N. *non arctatis intra annum* Sedis vacantis expeditis, & Episcopo N. directis: eoquæ monito ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus, *Et nihil quod relevet deducto*, dicimus prænominatum N., qui formam sibi a Concilio Trid. præscriptam *in cap. 10. sess. 23.* non servavit, esse suspensum totaliter ab officio, & beneficio, prout nos suspensum declaramus, & denunciamus, eiquæ, ac Capitulo intimari volumus, & mandamus &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

1 Qui dicantur ad ordines arctati ostenditur, & n. 2.

3 Vicarius Capituli, non concedit Dimissorias pro prima Clericali tonsura non arctatis, & num. 4.
5 Litteræ Dimissoriæ post annum concessæ

cessæ à Vicario Capituli non expi-
rant per ingressum in possessionem
novi Episcopi.

- 6 Qualitas, quæ dat jurisdictionem
non præsumitur, sed est probanda.
- 7 Vicarius Capituli concedens Dimis-
sorias non arctatis intrâ annum,
suspensionem ab officio, & Bene-
ficio per annum incurrit ipso jure.
- 8 Etiam si is, cui illas concessit, eis non
utatur.

ADNOTATIONES.

NON ARCTATIS, Concilium
Trid. in cap. 10. sess. 7. Facultatem
restringit Capitulo Sede vacante conce-
dendi Dimissorias ad ordines intrâ an-
num, nisi arctatis sub pœna interdicti:
Vicariis autem huic Decreto contrave-
nientibus imponit pœnam ipso jure in-
currendam suspensionis ab officio, &
Beneficio, in citato c. 10. sess. 23. Ar-
ctati autem sunt in duplici differentia:
alii enim sunt arctati occasione Benefi-
cii recepti: alii occasione Beneficii reci-
piendi.

Primi sunt, qui obtinent aliquod Be-
neficium Curatum, nam hi intrâ annum
ad Sacerdotium promoveri tenentur: qui
obtainent Beneficia, seu Cappellanas per-
petuas, quæ ex institutione requirunt ali-
quem ordinem, vel servitium personale.
Secundi verò sunt, qui habent jus, seu
sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans,
seu Cappellaniam, quod, seu quæ re-
quirit actum certum ordinem, quo isti ca-
rent, vel cum non sint Clerici, Ordina-
ti ad primam Clericalem tonsuram sunt
præsentati ad Beneficium, ut tradunt
Garc. de benef. par. 5. cap. 7. n. 97. & 98.
Card. de Luc. de benef. disc. 72. n. 6. & 7.
Sac. Congr. Episc. in Squillacen. 3. Jan. 1594.

Hæc autem facultatis restrictio, non
solum respicit ordines minores, & ma-
jores; sed etiam primam Clericalem
Tonsuram, præ qua intra annum Di-
missorias non nisi arctatis Vicarius Ca-
pituli concedit. Et licet in parte 1. tit. 1.
ad form. 2. nu. 23. contrarium tenuerim,
nunc re melius cognita libenter ab illa

opinionem recedo, tum quia Decretum
per me ibi allegatum, & quod refert
etiam Gallemart. collect. in d. cap. 7. n. 3.
in quo dicitur -- Congregatio censuit textum
hunc non comprehendere primam Tonsuram;
debet intelligi, quod Concilium cum com-
prehendat primam Tonsuram quoad pœ-
nas ibi impositas contra ordinatos, non
autem quoad licentiam ordinandi, prout
itâ intelligendum esse advertit Garc. d.
par. 5. d. cap. 7. nu. 99. tum quia Fagnan.
à me eodem loco citatus, loquitur in ca-
su arctati, ut patet ex ejus verbis relatis
in c. cum contingat de etat. & qualit. n. 39.
ibi -- rursus dubitatum fuit, an Vicarius
Capituli Sede vacante possit concedere lit-
teras dimissorias ad primam tonsuram
præsentato ad Cappellam simplicem Sac.
Congr. censuit posse, quia non prohibetur
dare Dimissorias ad primam Tonsuram,
& quia præsentatus est arctatus. Et quam-
quam ex prima ratione, à Fagnano de-
ducta, videatur, quod Vicarius possit
Dimissorias concedere ad primam Cle-
ricalem tonsuram, etiam non arctatis:
tamen hoc dicit obiter, & dubium pro-
positum, & resolutum est de arctato.

Tum quia, cum prima Tonsura se-
cundum Canonistarum sententiam, &
in foro magis receptam, sit ordo, ad
tradita per Card. de Luc. de penson. disc.
81. n. 4. vers. advertendum, in Dimisso-
rialibus concessis pro prima Tonsura,
bene verificantur verba illa Concilii --
ordinandi licentiam: tum demum, quia
hæc est communior sententia, quam
tenent Garc. loco citato num. 95. Qua-
rant. in summ. bullar. in verb. Capitulum
Sede vacant. vers. decimo quæro.
Ric. decis. 175. numer. 2. par. 4. Barb. de
Canonic. & dignit. cap. 42. num. 116. Ven-
trigl. in prax. par. 2. annot. 15. §. 1. n. 42.
Gard. de Luc. supra Concil. disc. 31. n. 32.
& alii ab eis allegati.

Intra annum. Quid si post annum
concessæ sint à Vicario Capituli litteræ
Dimissoriæ, an, inquam, expirent per
ingressum in possessionem novi Epi-
scopi, & non expirare tenent Gonzal.
ad regul. 8. glos. 12. num. 17. Quarant. in
summ. bullar. verb. Capitulum Sede vacan-
te ver. Decimo quæro §. secundo dubita-
tur.

itur. Propterea Gallemar. *collec. in d. cap. 10. sess. 7. remission. ver. an litteræ*, dat cautelam novo Episcopo, ut capta possessione per edictum publicum eas revocet antequam exequantur: monetque alios ordinantes, ut tam Dimissorias Vicarii Capituli post annum, quam ab Episcopo defuncto concessas, non admittant, si tempore præsentationis sciant, novum Episcopum possessionem cepisse, nisi ab eo revalidentur, vel ab ejus Vicario ad id facultatem habente.

6 *Et nihil quod relevet deducto*. Nil aliud relevans ad se excusandum Vicarium Capituli deducere potest, quam arctationem dimissi: quæ arctatio, cum sit qualitas tribuens jurisdictionem, non præsumitur, sed est, antè omnia ab allegante probanda, Sperell. *dec. 101. n. 21. Conciol. resol. criminal. verb. qualitas resol. unic. n. 3. Sabell. Sum. divers. tract. §. qualitas nu. 2.* Idcirco monitu--*ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus*, non poterit à comminatione ista appellare, nec per appellationem interpositam denunciationem retardare: sed debet excusationes, si quas habet, deducere, quæ si essent aliquo modo relevantes, aut dubiæ, & ab Episcopo rejicerentur tunc appellando à declaratoria, superferendum esset in denunciationis publicatione, quia ordinarius potuit in refectione excusationum illum gravare, prout suprà pluries dixi.

7 *Esse suspensum*. Vicarium Capituli Dimissorias ad ordines, & primam Clericalem Tonsuram intrà annum à die vacationis Sedis concedentem, suspensionem ab officio & Beneficio per annum incurre ipso jure, non ambigitur, quia licet Concilium *in cap. 10. sess. 7.* quoad pœnam interdicti ibi comminatam, loquatur specificè, & restrictivè ad Capitulum: tamen *in c. 10. sess. 23.* vult, & declarat, quod Vicarii, pœnæ suspensionis subjecti sint, ut patet ibi--*Pœnam quoquè impositam iis, qui contra hujus Sanctæ Synodi sub Paulo 3. Decretum (idest d. cap. 10. sess. 7.) à Capitulo Episcopali Sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis, quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus obtinerent, mandat*

extendi. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti, ab officio, & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi. Et tradunt de communi Pac. Jord. *elucubr. tom. 1. de sacram. ordin. num. 134.* Gallemart. *in d. cap. 10. sess. 23. num. 6.* & alii suprà allegati.

Et nota, quod Vicarius Capituli, hanc censuram incurret, concedendo intrà annum Dimissorias, etiamsi is, cui illas concessit, eis usus non esset: nam actus quo ad concedentem fuit consummatus, & perfectus, & per eum non stetit, prout ita à *Sac. Congreg. decisum* fuisse referunt *Garc. benef. addit. ad par. 5. cap. 7. num. 92. Barbosa de Canonic. d. cap. 42. n. 117.* Caveant idcirco Vicarii Capitulares, nè dum, ut placeant hominibus, facultatem, quam non habent excedant (novis Episcopis fortè non requirentibus) laqueum sibi ipsis parent, & perditionem.

De suspensione contenta in cap. exigit de cens. in 6.

Aliud crimen Vicarii Capituli, quod pariter in jure pœna suspensionis punitur, est exactio indebita procurationis, vel quia exigit officio visitationis non impensò: vel quia plus debito, aut munera recipit. Quare si in Syndicatu, vel extrà, Episcopus querelas audiat, vel Procurator Fiscalis instet de hoc inquiri, confitto de excessu ad declaratoriam poterit devenire modo sequenti.

Sen-